

[1] Illud potius cōgitābis, nōn esse irāscendum errōribus. Quid enim, sī quis irāscātur in tenebrīs parum vestīgia certa pōnentibus? Quid sī quis surdīs imperia nōn exaudientibus? Quid sī puerīs, quod neglectō dispectū officiōrum ad lūsūs et ineptōs aequālium iocōs spectent? Quid sī illīs irāscī velīs quī aegrōtant senēscunt fatīgantur? Inter cētera mortālītātis incommoda et hoc est, cālīgō mentium nec tantum necessitās errandī sed errōrum amor.

[2] Nē singulīs irāscāris, ūniversīs ignōscendum est, generī hūmānō venia tribuenda est. Sī irāsceris iuuenibus senibusque quod peccant, irāscere infantibus: peccātūrī sunt. Numquis irāscitur puerīs, quōrum aetās nōndum nōvit rērum discrīmina? Māior est excūsātiō et iūstior hominem esse quam puerum.

[3] Hāc condiōne nātī sumus, animālia obnoxia nōn pauciōribus animī quam corporis morbīs, nōn quidem obtūsa nec tarda, sed acūmine nostrō male ūtentia, alter alterī vitiōrum exempla: quisquis sequitur priōrēs male iter ingressōs, quidnī habeat excūsātiōnem, cum pūblicā viā errāverit?

[4] In singulōs sevērītās imperātōris dēstringitur, at necessariā venia est ubi tōtus dēseruit exercitus. Quid tollit irām sapientis? Turba peccantium. Intellegit quam et inīquum sit et periculōsum irāscī pūblicō vitiō.

[5] Hēraclītus quotiēns prōdierat et tantum circā sē male vīventium, immō male pereuntium vīderat, flēbat, miserēbātur omnium quī sibi laetī fēlicēsque occurrēbant, mitī animō, sed nimis inbecillō: et ipse inter dēplōrandōs erat. Dēmocritum contrā aiunt numquam sine rīsū in pūblicō fuisse; adeō nihil illī vidēbatur sēriū eōrum quae sēriō gerēbantur. Ubi istīc irae locus est? Aut rīdenda omnia aut flenda sunt.

[6] Nōn irāscētur sapiēns peccantibus. Quārē? Quia scit nēminem nāscī sapientem sed fierī, scit paucissimōs omnī aevō sapientis ēvadere, quia condiōnem hūmānae vītae perspectam habet; nēmo autem nātūrae sānus irāscitur. Quid enim sī mīrārī velit nōn in silvestribus dūmīs pōma pendere? Quid sī mīrētur spīnēta sentēsque nōn utilī aliquā frūge conplērī? Nēmō irāscitur ubi vitium nātūra dēfendit.

[7] Placidus itaque sapiēns et aequus errōribus, nōn hostis sed corrēctor peccantium, hōc cotīdiē prōcēdit animō: ‘Multī mihi occurrent vīnō dēditī, multī libīdinōsī, multī ingrātī, multī avārī, multī furiīs ambitiōnis agitātī.’ Omnia ista tam propitius aspiciet quam aegrōs suōs medicus.

[8] Numquid ille cuius nāvīgium multam undique laxātīs conpāgibus aquam trahit, nautīs ipsīque nāvīgiō irāscitur? Occurrit potius et aliam exclūdit undam, aliam ēgerit, manifesta forāmina praeclūdit, latentibus et ex occultō sentīnam dūcentibus labōre continuō resistit, nec ideō intermittit quia quantum exhaustum est, subnāscitur. Lentō adiūtōriō opus est contrā mala continua et fēcunda, nōn ut dēsinant, sed nē vincant.